Diagramma ſectionis anguli. Iuſto Byrgi præceptori, huiusque artificij repertori, gratitudinis ergò ſuſpenſum.



Atq́; per hoc aureum artificium totus Canon ſinuum quàm facillimè extrui perficiq́; poteſt, vel bidui, vel tridui, vel ad ſummum quatridui ſpatio: id quod per laborioſam ac tædioſam inſcriptionem tot annis in eo conſumptis vix atq́; ne vix quidem fieri poterit. Atq́; hæc hactenus de vtraq́; extructione Canonis in numeris: ipſum verò Canonem in numeris, tum in vulgaribus per inſcriptionem, tum in Logiſticis per anguli ſectionem, omniumq́; inſuper rerum tum hactenùs dictarum tum pòſt dicendarum Apodixes, cauſas, ac ſolidas Demonſtrationes, nec non euidentiſsimas rationes, omniaq́; præterea vel dictis vel dicendis neceſſariò inſerenda, (niſi ſumptus nobis defuerint) omnia hæc inquam exhibebimus in magnâ ac Regiâ noſtrâ Aſtronomiâ. Sed intereà ſequitur adhuc euidentior ratio extructionis ſinuum in lineis Rectis, per Quadrationem nempè circuli. Ideoq́; ipſam Quadrationem tum generalem tum ſpecialem ſeu circularem, vnà cum circularis generali Demonſtratione præmittamus.